



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Hortulus Biblico-Moralis Et Asceticus**

**Pappus von Tratzberg, Franz**

**Ulm, 1725**

Doctrina 1. Desumpta ex cap. 1. Libelli Ruth, in quo describitur Planctus  
Noëmi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61252)

## FASCICULUS XXXV.

## Doctrinarum Moralium &amp; Asceticarum.

## Doctrina I.

Desumpta ex cap. 1. Libelli Ruth, in quo describitur Planctus Noëmi.

N. 236. Considera:

**Q**uomodo Ecclesia Dei, cui jure meritissimò debetur Nomen Noëmi, id est *pulchra*, aspiciens tam gravia & frequentia Christianorum peccata, perditosque eorum mores exclamet: *Non vocetis me Noëmi, id est pulchram, sed vocate me Mara, id est amaram, quia amaritudine valdè me replevit &c.* Fuerat olim Ecclesia teste S. Bernardò *amara*, quando crudelibùs Tyrannorum tormentis ubique vexata, nullibi tuta latere potuit, tot penè fidelium corpora gladiis, ignibus, rotisque offerens, quot in Veteri Testamento animalia imolabantur. Fuit adhuc eòdem teste *amarior*, quando à tot falsorum dogmatum Magistris Veritas Catholica est impugnata. At tandem *amarissima* fuit, estque proh dolor! nostrò vel maximè ævò, quò experiri cogitur deperditos Christianorum mores, & crescentia quotidie eorundem delicta; atque hinc utitur verbis Prophetæ, ejulans: *Filios enutrivit & exaltavit, ipsi autem spreverunt me, Isaia 1. Quinam autem sit ille contemptus, quò piissimæ Matri suæ insultent Christiani, declarat mellifluus Doctor Serm. 33. in Cantic. hæc verba scribens: Spreverunt, & maculaverunt me à turpi vita, à turpi questu, à turpi commercio, à negotio perambulante in tenebris. Est civitas in Africa, quæ in locum destructæ Carthaginis successit, vulgari linguâ *Tunès* appellata, quod interpretatur; *Tu non es*, supple, *quod olim eras*, hoc est tam nobilis, tam pulchra &c. Ecclesia Catholica modernam filiorum suorum vitam intuens, idem de se cum gemitu profitetur: *tu non es* inquiens, quæ olim eras pulchra ut luna, electa ut sol, sed crescentibus in dies sceleribus penitus obscuratum est aurum, mutatus est color optimus. Hinc Salvianus lib. 6. de provid. nomine ipsius, statum suum deplorantis Ecclesiæ, exclamat: *ò miseriam lacrymabilem! ò miseriam luctuosam! quàm dissimilis est à seipso Populus Christianus: id est ab eo, qui quondam fuit. Ecce! in quid redacti sumus, ut beatam fore Ecclesiam judicaremus, si**

vel

vel tantum in se boni habeat, quantum mali. Nam quomodo beatam non arbitremur, si mediam plebis partem haberet innoxiam, quam penè totam nunc plangimus criminofam. Christiane Lector! examina mores vitamque tuam: nonne deprehendis in te aliquid reperiri, quod talis quærelæ causa existat? quot juramenta & blasphemix fluunt de ore tuo? quàm sæpè avaritiâ victus denegas misericordix opera pauperibus? nonne crebrò audiris cum pusillorum scandalo verba obscœna loqui? & quàm exigua tibi in Templis devotio atque reverentia? quàm frequenter durantibus sacris ibidem garris, rides, circumspicis, impertinentia legis, animò tuò nullibi minùs, quàm in loco sacro versans? Nummi coronati Regni Portugallix licèt in se contineant sculptam Crucem & figuram Vulnerum Christi, non tamen ideò plus valoris habent, quin potius omnî monetâ viliores sunt, utpote metalli vilissimi. Sic etfi te signes in Templo signò Crucis, etfi deferas Rosarium, & alia exerceas Christiani indicia, non inde devotus bonusque haberis. Metuendum planè: Ecclesiam, quæ tam amaris lacrymîs tuos aliorumque filiorum suorum perditos deflet mores, cum Sponso suo Christo in interitu vestro aliquando risuram esse. Quare ne id cum irreparabili damno cogaris experiri, dole, & emenda.

## Doctrina 2.

*Desumpta ex cap. 2. libelli Ruth, in quo describitur: quomodo Ruth ad imperium Booz, relictas à messoribus collegerit spicas, & ab eo perhumaniter habita sit.*

Considera: **A**dolescentem aut puellam Christianam, quæ à vanis mundi deliciis ad statum religiosæ vitæ inspirante Deo vocata, vocanti obsequi nititur, residuas vitæ suæ spicas cum fructu collectura, & repositura in horreum æternitatis, idem experiri à Christo, quod Ruth Moabitis experta est à Booz: Illam enim per sanctas Inspirationes Christus alloquitur verbis Scripturæ v. 8. citati cap. *Audi filia, ne vadas ad alterum agrum, h. e. licèt caro, Mundus & Dæmon per blanditias suas avertere te moliantur à sacro proposito, ne acquiescas eis, sed constans permansura, jungere puellis meis, & ubi messuerunt sequere. v. 9. ut reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias à Domino Deo Israël, ad quem venisti, & sub cujus confugisti alas. v. 12. & 13.*

T t 2

cita-